



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Clotharii Regis Constitutio Generalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

CLOTHARII REGIS
CONSTITVTIO GENERALIS.

Chlodacharius rex Francorum omnibus agentibus.

VSUS est clementiae principalis, necessitatem prouincialium vel subiectorum sibi populorum prouida sollicitius mente tractare, & pro quiete eorum quæcumque iuste sunt obseruanda indita in titulis constitutione conscribere: quibus quantum plus fuerit iustitiae atque integritatis impensum, tantum pronius amor deuotionis incumbit. Ideoque per hanc generalem auctoritatem præcipientes iubemus, vt in omnibus causis antiqui iuris norma seruetur, & nulla sententia a quolibet iudicium vim firmitatis obtineat, quæ modum legis atque æquitatis excedit. In parentum ergo successionibus quidquid legibus decernitur, obseruetur, omnibus contra impenetrandi aliquid licentia derogata: quæ si quolibet ordine impetrata fuerit vel obtenta, a iudicibus repudiata, inanis habeatur & vacua. Si quis in aliquo crimine fuerit accusatus, non condemnetur penitus inauditus: sed si in crimine accusatur, & habita discussione fuerit fortasse conuictus, pro modo criminis sententiam excipiat ultio- nis. Inter Romanos negotia causarum Romanis legibus præcipimus terminari. Si quis auctoritatem nostram subreptitie contra legem elicuerit fallendo principem, non valebit. Si iudex aliquem contra legem iniuste damnauerit, in nostri absentia ab episcopis castigetur; vt quod perpere iudicauit, versatim melius discussione habita emendare procuret. Nullus per auctoritatem nostram matrimonium viduæ, vel puellæ, sine ipsarum voluntate præsumat expetere; neque per suggestiones subreptitias rapiantur iniuste. Sanctimoniales nullus sibi in coniugium audeat sociare. Ut auctoritates cum iustitia & lege competente in omnibus habeant stabilem firmitatem, nec subsequentibus auctoritatibus contra legem elicitis vacuentur. Ut oblationes defunctorum ecclesiis deputatae nullorum competitionibus auferantur, præsenti constitutione præstamus. Agraria, pascuaria,

Concil Tom. 12.

Aaaa ij

vel decimas porcorum , ecclesiæ pro fidei nostræ deuotione concedimus : ita vt actor aut decimator in rebus ecclesiæ nullus accedat , ecclesiæ vel clericis nullam requirant agentes publici functionem , qui aui , vel genitoris , aut germani nostri immunitatem meruerunt . Quæcumque ecclesiæ vel clericis , aut quibuslibet personis , a gloriøsæ memoriae præfatis principibus munificentia largitate conlata sunt , omni firmitate perdurent . Quidquid ecclesia , clerici , vel prouinciales nostri , intercedente tamen iusto possessionis initio , per triginta annos inconcuso iure possedit probantur , in eorum ditione res possessa permaneat : nec actio tantis æui spatiis sepulta vterius contra legum ordinem sub aliqua repetitione consurgat , possessione in possessoris iure sine dubio permanente . Prouideat ergo strenuitas vniuersorum iudicium , vt præceptionem hanc sub omni obseruatione custodiant : nec quidquam aliud agere aut iudicare , quam vt hæc præceptio secundum legum Romanarum seriem continet , vel sexus quarumdam gentium iusta antiqui iuris constitutione olim vixisse dinoſcitur , sub aliqua temeritate præſumant .

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Clotharii regis constitutio.*] Duo huius constitutionis exemplaria vidimus : vnum e monasterio Corbeiensi , quod in editione nostra secuti sumus : alterum e bibliotheca Tiliana , quod fuerat olim monasterii Corbionensis , id est Blesensis sancti Launomari .

² *Omnibus agentibus.*] Tilianus , omnibus comitibus . item paulo post : sibi omnium populorum . & rursus , quæcumque iusta sunt . & infra , incumbent . item , & inanis habeatur .

³ *Aut germani nostri.*] Hæc absunt a Tiliano . Ambigi autem hoc loco iure queat , si ad Clotharium I. referatur constitutio , quemnam auum suum vocet , qui clericis immunitatem concesserit : si ad Clotharium II. ecquem dicat germanum .